

quadragenas; quoties vita functum sodalem ad sepulcrum comitentur, quinos annos: denique quoties contrito saltem corde pro sodalibus omnibus orationem dominicam cum angelica salutatione et *Gloria Patri* pie recitent, de numero poenaliū in forma Ecclesiae consueta centum dies expungimus. Porro largimur sodalibus ipsis, si malint, liceat plenariis his ac partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII Octobris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

L. £ß s.

R. CARD. MERRY DEL VAL, *a secretis Status*.

EPISTOLAE

L

AD CAROLUM SIMON ET PETRUM MARTIN, DE INSTITUTA SOCIETATE CUI TITULUS
" LA MAN.ÉCANTERIE DES PETITS CHANTEURS À LA CROIX DE BOIS „.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Praeclara quae nuper allata sunt de instituta communi vestro consilio societate, cui nomen *la Man.Écaterie des petits chanteurs à la Groix de bois*, haud mediocri iucunditate accepimus. Utrumque laetamur: et vos rite pueros edocentes ecclesiasticos concentus, ad optatam musicae sacrae instaurationem sedulas conferre curas, et musicae artis studium fructuosius reddere, christiana, ad quam yolentem animum adiicitis, canentium puerorum institutione. Optima sane ratio provehendi decorem domus Dei, *qui ex ore infantium et lactentium perfecit sibi laudem!* Coepta haec vestra felici exitu cumulet Deus cui operam vestram studiumque navatis. Nos interea, auspiciem caelestium munerum et benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, iis" omnibus qui vobiscum una praefatae societati moderandae eidemque iuvandae adlaborant, nec non pueris in chorum adscitis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 1 Augusti MCMIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIUS PP. X